



30

~~G. W. 27.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

VI-26.

SIGNAT. ciobcccxiij.

Stückzettel erled.
11. XII. 1949.





A. A. C. C.

DISPUTATIO
EXERCITATIONUM PHILO-
SOPHICARUM XXXVIII,

De

FORTITUDINE

ET TEMPERANTIA.

Quam,

Deo duce & luce,

SUB PRÆSIDIO

M. TOBIÆ TILEMANI

VVitteb. Colleg. Philos. Adjuncti,

Liberalis exercitij gratiâ defendendam suscipiet,

JOHANNES ZAPHEIUS

Curiâ-Variscus.

In celeberrimâ VVittebergensi Academiâ,

ad diem 27. Aprilis, horis & loco consuetis.

Isocr. ad Dæmonic.

Robur cum prudentia conjunctum prodest, quâ sine plus
habente incommodat.

VVITTEBERGÆ,

Typis Iohannis Gormanni ANNO M. DC. XI.





CLARISSIMIS

juxta ac

PRÆSTANTISSIMIS

insignivè ingenuarum artium peritia

SPECTATISSIMIS

Viris:

Dn. M. ENOCHO WIDMANNO Scho-
læ Patriæ Curianæ, RECTORI dignissimo;

Dn. M. JOHANNI SAMBSTAGIO Ejusdem
CONRECTORI fidelissimo:

NEC NON

Dn. M. JOHANNI ROSNERO

&

Dn. M. BRICCIO CRESSIO Collegis
conjunctissimis:

*Fautoribus, Promotoribus, ac Præceptoribus
suis honoratissimis,*

*Hæc quales quales studiorum suorum
primitias, εἰς τεκμήριον grati animi, de-
bita ἤ, observantia σύμβολον reverenter*

exhibet

JOHANNES ZAPHIUS
Respondens,

PRÆLOQVIUM.



Vt bellum & scitum, sic universè verum est illud, quod princeps Philosophus emonet, prius lineamenta semper extrema disciplinarum ducenda esse, quàm ipsi sibi addantur colores, in l. 1. Ethic. Nic. 7, & lib. 1. Rhet. c. 14. & 19: Vt enim nemo tam est rerum imperitus, tantavè suffusus mentis caligine, qui in politissimâ pingendi arte excellens futurum opus non leviser congruâ prius ομοζαφία adumbret, quæq; exantè fallaci ac umbratili notet simulachro, quàm ipsos renitentes colores inducat; Ita parili ratione, qui aliquem in litterarijs rebus sibi imposuere pensum, eò meritissimò primùm allaborare debent, ut ceu in τὴν ἀρtem totam, quam cupiscunt expendere, habeant delineatam, quo intuito, imprimant animo arctè, quâ ratione quovè ductu deinceps omnia, si non summè decorè, ad quam minimè indecorè, instituenta tum, tum finienda. Quocirca benè & rectè intexendis telis nostris Ethicis accuratiorum, hanc in promiscuo habere volumus, sed enim generalia virtutum moralium, quæ potiss. in earundem Causis resident, pertractare, quæq; naturam sit virtutum moralium, quid in recessu habeant, quidvè ambitu suo includant, considerare ut debuimus, sic volumus: Jam ut hisce verus ceu succus addatur, ad specialem recessionem & contemplationem singularum & commodum, & maximâ nostrâ vim utilitate accedere possumus, memores quippè quod Philosophus adfirmatè ponit, inquit, Sermones qui ad genus univèrsam pertinent, in Philosophiâ moralis plerunq; sunt inaniore, qui verò partes & singulares res explicant, veriores, lib. 2. Ethic. c. 7. Cumq; nobis omninò animus sit, ubi Antesignanus noster Aristoteles pedem impressit, ibi ejus vestigia legere, in quantum ejus unquam fieri potest: Ideò in præsentia defecatiore animo penitus cum eo lustrare iubet, tum Fortitudinem, eam nempe Virtutem, quæ in arduo maximè locata, quæq; columna est civitatis, lorica hominis, in quâ belli fuga, in quâ pacis palma cernitur, ac à quâ, ceu à fonte perenni jugis aquæ omnia pietatis officia in parentes, in patriam, inq; Deum fluunt; Tum Temperantiam, quâ certè virtute nihil vel ad affectus reprimendos potentius, vel ad mores hominum confirmandos aptius, vel ad divinum numen placandum efficacius fingi aut dici potest. De hiscè igitur primis, primarijs, maximisq; virtutibus duabus, paucula in sequentiâ memorâ mente notanda sunt.

T H E S I S I.

Fortitudinis vox ἰσχυρία λέγεται, at variè accipitur: Quandoq; enim ad corpus refertur, idemq; quod robur notat, atq; tunc propriè ad Physicam pertinet, itemq; ad Historicos, qui viros insignitè robustos ut annotare sit celebrare solenne obtinent, uti est videre apud Varro. in prodig. vir. relatione, & Plin. lib. 7. Nat. hist. c. 20. Valer. lib. 9, cap. 12. & c. Quandoq; ad animû. & eam virtutem significat moralem, de quâ hic occupati tenemur, inq; quâ significatione Ethicæ tantùm considerationis est.

II. Definitur verò à Philosopho, quod sit mediocritas (seu virtus tenens

ho-
dem

gis

bus

orum
i, de-
center



mediocritatem) circa metum & confidentiam, lib. 3. Eth. Nic. c. 6: Seu quod sit medietas τῆς ἰσότητος καὶ τοῦ φόβου, eaq; maxima & honestissima, qua quis aggreditur & perfert, vel quia perferre honestum, vel quia perferre turpe est, Ibid. c. 7.

III. In quâ definitione genus est mediocritas, quia in progressâ Exer- catione ad sufficientiam probatum dedimus, omnes virtutes morales in me- diocritate aureâ consistere: Differentia autem specifica mentione objecti proximi, itemq; finis exprimitur; Et illo quidem fortitudo à reliquis virtu- tibus discriminatur, hoc verò actiones rei in veritate fortes distinguuntur à simulatis, ijsq; universis omnibus, quæ alium ob finem, quàm honestatem sunt, scil. cupiditate gloriæ, metu supplicij, &c.

IV. Ac quod objectum fortitudinis attinet, ut qualibet alia virtus par- tim circa affectus in animo, partim circa rem aliquam externam versatur: Sic parili ratione hujus virtutis objectum internum sunt duo illi affectus, ad invicem sibi contrarij, quosq; moderatur & componit, metus scil. & confi- dentia; Externum verò τῶν φόβου, res metuenda seu terribilia, (hæc enim metum nobis incutiunt) & τῆς ἰσότητος, in quibus confidimus.

V. Verùm cum τῶν φόβου non unus & ejusdem sint sortis, idè operæ est præcipua hæc illorum capita recensere, & quamnam propriè Fortitudini subjaceant, paucis indicare. Metus igitur cum sit opinio seu expectatio mali, lib. 3. Eth. c. 6, Citero lib. 3. Tusc. qq. tot igitur sint genera τῶν φόβου, quot numero existunt malorum, est de necessitate omni.

VI. Viraq; a. sunt vel ὑπὲρ ἀνθρώπων, idèq; à nemine non mortali- um maxime metuuntur, ut sunt omnia extrinseca, quæ consilio aut ratione evitari nequeunt, ut fulmina, terramotus, &c. Vel κατὰ ἀνθρώπων, qualia sunt reliqua omnia, quæ mala vocitamus, & metumimus, lib. 3. Eth. Nic. c. 7.

VII. Atq; hæc rursus vel in honestatem impingunt, omnibusq; sunt bo- nis metuenda, quicq; illa sunt, habere deq; mali sint & impudentes oportet, quale malum est infamia, &c. Vel libere & possunt & non possunt me- tui, ut pericula corporis & fortunarum, eaq; aut leviora & minora, ut pau- pertas, exilium, &c. aut difficilima, ut mors, &c.

VIII. Et in his malis, quæ scil. metuere & non metuere, citra honestatis vel læsionem vel jacturam licet, tota est Fortitudo, non tamen æquabili ratione circa omnia versatur, sed maxime circa maximum malorum, scil. mortem: Virtus siquidem in arduis, inq; difficilissimis semper occupatur rebus

Mors

Mors autem, rerum, quotquot sunt, omnium est difficilima & maximè mala, cum privatio sit omnium, uno verbo, bonorum.

IX. Neq; etiam in omni mortis genere Fortitudo locum habet; Is enim qui naufragio perit, extinguiturve morbo aliquo, neutiquam, nisi per similitudinem, fortis nomine salvari potest: Sed ea verè cernitur in eà morte, quæ est honestiss. & pulcherr: qualis est mors bellica, cum quis pro patriâ pugnans, occumbit, atq; ad plures penetrat.

X. Nam, 1. in eà morte pericula maximè sunt obvia, & ob oculos posita, interim honestissima, pro patriâ scil. aut religione suscepta. 2. Illi qui ita in bello natura satisfaciunt, ejusq; absolvunt pensum, post exquisitis evēbuntur laudibus, carminibusq; omni æternitatis ævo decantantur, id quod præstantiss. quosq; Poetas cum diligentia nunquam non facitasse, res est nimis in claro.

XI. Atq; hæc est Aristotelis de objecto Fortitudinis sententia, quæ eò omnino sensu est acceptanda, quod Fortitudo petiss. in bellicâ morte cõspicitur, quodq; animositas in bello uα] εζοχνη nomen hoc subeat: Interim in reliquis etiam malis periculisq; bellum extra eam locum habere per omnia asserimus, & eandem cum Cicerone in Bellicam & Togatam dividimus.

XII. Illa est, quæ circa mortem & pericula bellica versatur, & de quâ Aristoteles præcipit: Hæc, quæ vulgario in usu & domestica ac urbana quoq; dicitur, est, quæ occupata tenetur circa reliquas difficultates & mala, quæ homini in vitâ usu venire possunt ubi bellum est nullum, ut sunt exilia, paupertas, & reliqua, quæ nos appellare leviora solemus, mortis nimirum respectu.

XIII. Porro officium viri fortis in hiscè consistit: 1. Animosè pericula subit, si necessum, eademq; constanter omnigenâ perfert ratione. 2. Bellicâ fortitudine conspicuus pulchrum & præclarum arbitratur esse, pro patriâ intrepidè pugnare, & potius in ipsâ occumbere acie, quàm hosti tergum dare, nisi ipsam patriâ commodet.

XIV. 3. Idem alia quoq; pericula animosè adit, ac in aliis etiam mortis generibus se ut magnanimum ostendit, si nimirum illi naufragio pereundum, &c. præterquam quod egrè ferat, quod non potè cum laude in acie sibi sit occumbendum, ut ex suo obitu aliqua in patriam aut amicos retundet utilitas: Inde est quod Aeneas in mari periclitans altè exclamavit, 6 terq; quaterq; beati-Queis ante ora patrum Troja, &c.

XV. 4. Vir fortis est quidem ἀνένκλητος, est ut homo, seu qui sensibus & affectibus praeditus est, nec omni malorum sensu se liberare potest: Nam est fortitudinis omnino, non solum pericula decenter ferre, sed eadem etiam convenienti modo, loco & tempore metuere, quin & iisdem tedere.

XVI. 5. Licet etiam eidem ob vulnera dolere, molesteque, mori si cogatur, ferre, idque iterum quia σαρκενός est. 6. Quin imò jure merito molestius ferret mortem quam ignavis aliquis, tum quia multò dignior est, qui vitalis sit, quam hic, tum quia majoribus per mortem privatur bonis, virtutibus scilicet quarum in adeptionem venerat. Denique omnia subit ac sustinet pericula, solius causa honestatis, nullum alium ob finem, lib. 3. Eth. c. 6, 7, & 9.

XVII. Et sic habet se Fortitudo ipsa: Cujus extrema seu vitia quatuor quidem sunt, (cum enim mediocritas sit duorum affectuum, metus scilicet & confidentia, plura eidem repugnare est necesse) interim commodum ad ternarium revocari possunt numerum, quippe cum desperare idem sit ac nimium metuere & timere.

XIIX. 1. Autem dicitur Vacuitas timoris, seu insania, quâ quis non timendo modum nimium excedit, eaque etiam quae omnibus hominibus metuenda sunt, non exhorrescit: Hoc vitio laborantes dicuntur ἀνάλγητοι, insani vel sensus carētes, qualis fuit Cleomenus Spartiata, qui accepto gladio sibi ipsi primò suras resecavit, inde & femora, coxas, &c. neque doluit, Herodot. lib. 6, mihi fol. 349.

XIX. 2. Audacia, quâ ἐν τῷ θάρρειν modum excedimus, seu est praecipit animi impetus sine ratione hominem ad pericula impellens: Ei in speculum haec duo quasi data sunt, 1. Arrogantia, qua audaces semper fortitudinis palmam sibi vendicant, 2. Timiditas, dum in periculis, maximè hisce ingravescentibus, minimè omnium constantes sunt.

XX. 3. Timiditas seu ignavia, quâ in confidendo deficiamus, ac ea metuimus, quae non debebamus, vel modo inconveniente saltem hoc ipsum facimus: Talis advertenda clarè fuit in Peride, qui adversus Graecos in praelium abiens, viso Menelao extimuit in tantum, ut quasi ad serpentis conspectum retrò pedem tulerit, &c. Homer. Iliad. 7.

XXI. Huic censui accensendi & illi sunt, qui ipsi sibi manus violentas inferunt, quippe cum hoc non fiat ob honestatem, sed vel metu gravioris supplicij, vel ob alterius alicujus mali impatientiam, summam vivere illis molestum est, sibique melius in morte sperant, id quod molli & ignavi animi iudicium est plus quam manifestum: Vnde & Plato lib. 9. de V. tales non

solum

solam protimidia habendos esse censet, sed & ignominia afficiendos asserit, eosq; iniustitia rationibus convincit bene multu, cui adstipulatur August. lib. 1. de Civ. Dei. c. 16. & seq.

XXII. Caterum Temperantia est mediocritas circa voluptatem, & huius oppositum dolorem, qui ex privatione voluptatis originem sibi sumit, lib. 3. Eth. c. 10: Versatur namq; circa duos illos affectus animae appetitiva, circa voluptatem scilicet & dolorem, quae magis potiss. & magis circa illam, per accidens autem tantum circa hunc, non admittendo nim. eum ob voluptatum absentiam, quae ratione in diversum longè abijt a fortitudine, quae praesentem dolorem equo fert animo, Ibid. c. 11.

XXIII. Occupata autem est Temperantia non circa omnes voluptates, (nemo enim propter voluptates animi intemperans dici solet) sed tantum corporis, & quidem circa illas, quae gustus sunt, & tactus potiss. & principaliter, quippe quae voluptates sunt communissimae, & quia ipse gustus non nisi ratione tactus jucundus est, qui insuper per totum corpus diffunditur, ille vero per exiguam corporis partem fiat.

XXIV. Et quia illae Voluptates sunt vel in cibo, vel in potu, vel in rebus Venerijs, (cum reliquis enim Voluptatibus tactus, quae sanitatis causa sunt, ut sunt frictiones, lotiones. &c. Temperantia nihil quidquam commune obtinet) secundum haec tria objecta specialia, aliqui tres constituunt Temperantiae species, nim. 1. circa cibum, Abstemiam: 2. circa potum, Sobrietatem; & 3. circa Venerem, Continentiam.

XXV. Cumq; officium Temperantiae unice in moderatione cupiditatum, quibus scil. ad voluptates serimur, consistat: Ideò tenendum probe, quod illarum aliae sint Naturales & communes, & vel ad individui, vel ad specie pertinent conservationem, aliae propriae & peculiariae, & harum nonnullae aliquid naturale habeant, ut cum quis naturam dulcia amat. &c. nonnullae vero nihil, ut cum quis delectatur esu humanarum carnum. &c. lib. 3. Eth. c. 11.

XXVI. Temperantem igitur decet, non sanè ab omnibus cupiditatibus planè & plenè abstinere, sed in prioribus quidem modum tenere, à posterioribus vero in totum alienum esse: Et circa cupiditates naturales hoc unicuique ad instar cynosurae observabit & spectabit, ne in quantitate peccet, hoc est, ne nimio cibo & potu se ingurgitet, aut venerem justo plus sectetur.

XXVII. In cupiditatum autem propriarum, inq; studio Voluptatum haec servabit: Ut autè omnia rationem habeat honestatis, licit usq; tantum volupta-

Voluptates expetant. 2. Quantitatis rationem teneant. 3. Valetudinis. 4. Estimacionis, item loci, temporis, presentium personarum. 5. Denique sumptuum quoque rationem habeant.

XXIIX. Extrema ultimum seu vitia Temperantiae duo sunt: Nam excessus eius est ἀκολασία seu Intemperantia, quae Voluptates contra omnem rectam rationem appetuntur, omnisque molestia, quae ex harum voluptatum detractioe oriri posset, effrenatè declinatur, lib. 3. Eth. c. 11.

XIX. Defectus vero est ἀνασθησία, seu sensuum stupiditas, vel, Ciceronis appellatione Inimantia (quia in hominem vix cadere videtur,) quae minus quam oportet Voluptates appetimus, vel etiam licitis atque honestis cupiditatibus non afficimur. Et tantum quoque, pro chartae angustia, de Temperantia dixisse sufficiat.

A D J E C T A N E A.

I. Difficilius est res secundas, quam ferre moderatè adversa. 2. Martyres pro fortissimè omninò habendi sunt. 3. Sicuti & fortitudo bellica etiam Christianis competit, quibus gerere bellum, licet. 4. Milites interim mercenarij ne utiquam verè Fortes appellandi sunt. 5. Stratagemata in bello sunt concessa. 6. Singularia verò certamina cautè instituenda. 7. Ebrietas delicta non excusat. 8. Polygamia propriè sic dicta non est licita in N. T. 9. Lupanaria minimè omnium sunt ferenda. 10. Choreas ducere licitum est.

F I N I S.

Umg. VI 26

= [Dissertationes
Theol. Vol. 707]



Sb.

VD 17





A. C. C.

P R O T A T I O
 IONUM PHILO-
 RUM XXXVIII,

De
 ITUDINE
 MPERANTIA.

Quam,
 duce & luce,
 PRÆSIDIO

Æ T I L E M A N I

colleg. Philos. Adjuncti,
 ij gratiã defendendam suscipiet,
 IES ZAPHIUS
 ria-Variscus.

Vittebergensi Academiã,
 rilis, hora & loco consuetis.

cr. ad Dæmonic.
 a conjunctum prodest, quã sine plus
 te incommodat.

TTEBERGÆ,
 ormanni ANNO M. DC. XI.



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black